




Ex-Libris
PODHORCE







# CORONA
## UNIONIBUS ANIMORUM
## &
## NOMINUM

Illustrissimi Excellentissimi Domini

D. JOSEPHI

à POTOK

# POTOCKI

Capitanei Szczerzecensis &c.

nec non

*ILLUSTRISSIMÆ*

PELAGIÆ

# POTOCKA

Ilustrissimi Capitanei Grabovecensis

Ex Bibliotheca Lectissimæ Filiæ PP. Capuc. Conv. Olescen.

Ad universorum æstimationem

AUCTA

*Atq; utriusq; Consortis Illustrissimi Hymenæo*

IMPOSITA

Ab obligatissimo Magnis Nominibus Collegio Leopoliensi Soc: JESU

*Anno Regis Regum 1736.*

LEOPOLI. Typis Collegii Societatis JESU

Nominis est magni concordia, Stemmatis æquè,
Omen, CRUX Sponsis multiplicata dabit:
Convenêre páres animæ ad connubia postquam,
Nulla magis concors, hac erit orbe DOMUS.

2.

Juncta sibi radiant, victricia signa PILAVÆ,
Magnorum spoliis, Stemmata fulta Ducum.
Utraq; CRUX victrix Sponso præsagit utriq;
Quòd certans, palmam victor uterq; feret.

# ILLUSTRISSIMI

# NEOSPONSI



*Retioso Nominis POTOCCIANI Alto, guttam; Pilavianæ Arbori breve folium; Festivæ* IL-*LUSTRISSIMI Connubii Luci umbram; Minimum eloquentiæ punctum Festivis Honori UESTRO Plausibus adjicimus* ILLUSTRISSIMI NEOSPONSI. *Contendunt nimirum pro Oceano minora etiam flumina, eiq; certatim allabuntur, ut assurgant: & leves frondium comæ in Cedrorum immortalium verticem enituntur, ut ab illis emineant: solem quoq; comitatur umbra, quò ad tanti sideris mensuram crescat. Humilis pariter svada VESTRÆ Fastigium Gloriæ ambire debuit, si attolli voluerat. Nusquam pulchriùs texuntur laudes, quàm cum non per tumidos calamistratæ dictionis incedunt cothurnos, sed omni vocum abjecto fucô rerum ipsa gravitate illustres depromuntur: nec ad inanem verborum pompam, sed ad veritatis Majestatem compositæ, ipsa personant Magna Nomina; seu vocalia eorum rectèfacta. Istud præstantissimum Orationis decus à Vestra dignitate, etiam hæc nostra dicendi facultas sibi vendicat: quæ ubi, in hoc angusto laudum compendio fastuosiùs procedere spectabitur, Vestræ studiosam*

*magni-*

*magnitudinis; ubi minùs compta & inculta videbitur; pro sincera laborantem veritate decernetis. Puduit nempe superficialem vocum copiam adsciscere, cum Avita Geminati PILAVÆ ARBOR tantam rerum Sylvam pro solido contulit Elogio. Puduit stylum huc inducere personatum, ubi pulcherrimam encomiorum faciem instruit splendidissimus POTOCCIANUS Honor. Iam verò præclara, tamq; multa de VOBIS dicenda occurrebant, ut amplissimum eloquentiæ studium exhaurire crederentur: omninoq inops esset oratio, nisi à VOBIS ipsis totum sibi pretium quæsivisset. Quare humiles istos laudis VESTRÆ spectaturi apices, non dictionis formam, non verborum apparatum, sed VESTRARUM compositionem virtutum meritorum, Gloriæ decorem observate; demum vos ipsos cogitate, qui pulcherrimum alter alteri, maximum uterq; vobis mutuò estis præconium. Prosequetur semper, etiam postquam hoc detulerit, idem laudum VESTRARUM studium.*

# ILLUSTRISSIMO Nomini

*Devinctissimum*

Collegium Leopoliense Societatis JESU.





Eſtris iſtud debetis pari dignitate certantibus ILLUSTRISSIMI NEOSPONSI Votis,quia mutuo cordium nexu adſtricti, ad fortunatiſſimum Connubii Fædus proceſſiſtis: VESTRO debet ILLUSTRISSIMO HYMENÆO publica ſingulorum exiſtimatio, communis omnium ſenſus, quia CELSISSIMUM PILAVITARUM NOMEN ad immortalis Gloriæ Faſtigium, ad perennaturæ celebritatem Famæ, ad poſteris relinquendum POTOCCIANÆ FAMILIÆ ornamentum, ad publicæ confirmationem tranquillitatis, ita feliciter provehi intellexerunt Univerſi. Quantam enim nuptialibus Tædis toti Lechiæ accendi lucem? Quantos hac ipſa Feſta luce, concordes plauſus, Inclytæ DOMUS ſolatia, Cognatorum NOMINUM tripudiantes aſſenſus, cæterorum admirationem excitari videmus? Ubi innatus Patritiæ Fortunæ ſplendor, in ſummæ Felicitatis refulſit meridiem. Habet hoc præclara virtus, & quæ vera eſt, Gloria, ut nunquam ornatiùs, quàm per ſe ipſam

crescat, se ipsa augeatur. Et maria, in immensi altum tolluntur Oceani; cum eodem recipiunt sinu Flumina, quo ea in terras olim profuderunt. Quam pulchrum istud! Magnum Nomen eodem cumulari vocabulo: acsi suorum partum viscerum gemmam Gangeti, seu nativum Pactolo affundas obryzum. IVISTIS magno passu ad socialem Pompam ILLUSTRISSIMI CAPITANEI, Aviti NOMINIS Pari Majestate graves, pretiosis dotibus, ac unione Animorum locupletes: & unanime cunctorum judicium còégistis; ut vix non ad fabulosæ vetustatis commenta respicerent, quo sibi dignitatis vestræ par culmen, & pretium eodem cognomento dives ad veritatem effingere potuissent. Ita nempe, quæ excelsa, & summa censentur, quoties mentis ambitu comprehendere non licuit, magnitudinem eorum, plerumq; comminiscaris quodammodo, necessum est: ut ad summitatis verticem accedas. At verò, genuina sinceræ laudis parens veritas est; tantumq; illa vanos fictionum calamistros odit, quantò plùs sibi ipsi constans umbram mendacii refugit, ut rectitudinis innatæ lucem assequatur. Permittes igitur ILLUSTRISSIME CAPITANEE vel in ipso capite emendare dictionem, quam citra adscititios commentorum fucos tuâ, æquê ac ILLUSTRISSIMÆ CONSORTIS (nec enim licet distingvere, quos sibi tergemino decore eadem PILAVITARUM CRUX affixit) implêsti magnitudine, ut quod initium, quem sibi finem ponere debeat, arduum statuendo videatur. Quæ enim, & quanta illa sunt! quæ de TE non tam prædicari,

quam

quàm vel nominari deberent. Si in TE ſolum, totum verteretur præconium, occurrerent illico pleno agmine, quæ TUORUM Gloriæ MAJORUM non degener Hæres poſteris reliquiſti tot præclara merita, tot virtutum Facinora, tanta Probitatis ac profuſi in Superos animi monumenta: ut illis integra poſſint impleri ſæcula. Verùm itane ad ſolum TE reſpicere liceat? ut cum magni TUI Nominis vel meminimus, integro veluti non affluant Orationi Pelago, quæ ultra Regni quoq; noſtri effundunt ſeſe littora, CELSISSIMÆ PROSAPIÆ TUÆ Fama, Dignitas, Honor, Faſtigium. Nuſquam ſcilicet ſidus quodpiam maximum cogitare obtigit, niſi ſtatim vaſtiſſimi integram Cæli machinam concipias. Aſt hæc omnia ampliſſimam quantumvis dicendi facultatem non tam augent, quàm obruunt. Rerum ſanè ordo ſemper difficilis inter æquè ſumma. Quemcunq; tamen modum anguſtæ laudis breve ſequetur folium, TE ſuam ita exambiet Panegyris Coronam; ut ceu locupletiſſimos adamantum fulgores in ornamentum vendicare enitatur Avita PILAVITARUM Clenodia.

Pulchrum iſtud & ingens eſt: ſeu præclarum Nomen virtutibus illuſtrare, ſeu Magno Nomine ipſam augere virtutem: cum idem veluti cenſeatur; Solem fulgentiſſimis circumfundi radiis & Natalibus ILLUSTRISSIMIS innatum quodammodò virtutum jubar accreſcere, ut eodem paſſu, Honor, & Probitas, Integritatis candor & Trabeatus Murex incedant; eodemq; vocabulo virtus, & altiores

Tituli intelligantur. Fumum jactant, & lucem fatuam nonnisi præferunt, qui fumosas duntaxat Antenatorum imagines, Majorumq; Ceras totum suæ Gloriæ splendorem volunt, parum solliciti de eo, quod solidæ laudis pretium est. Quid enim illa Augusta quidem, sed & horrida Domitiani, Neronis, Caligulæ Nomina! Non tam Serenissima Imperatorum Majestate, ut obscura vitiorum caligine illustria! Per tot ætates prædicantur, nominantur per secula, sed suo ipsorum dedecore tantum celebres, tristem implevêre famam. At verò Mutios, Fabios, Africanos, nusquam ita recolere seu in memoriam repetere licuit; ut non simul laudatissima illorum rectefacta in mentem recurrant, & quendam tripudiantis animi provocent assensum. Squallida nativum Coralii muricem pallore fædant illi, quibus excludi à Purpuris verecundiam placuit. Publicum Gloriæ diem, rerum ordinem tumultuariè transvertendo tetra commutant nocte: apud quos publicum Titulorum Solem, errantium fæda morum nubes veluti sepelit, & tantùm non extinguit, cum tamen ad Fortunæ serenitatem accedat magis, quæ mensura illius est, comes umbra modestiæ, & prona in terras, juxta ac Superos pietas. Nam & Trabeis decus maximum, & fascibus pulcherrimam Majestatem, & Majestatibus amplissimum ornamentum, ipsisq; adeò Coronis summum culmen defert virtus. Quantum verò illud est, si Altis quoq; par magnitudine respondeat cunis; æquali gradu sublimioribus Titulis! eadem sublimitate excelsis Nominibus! Qui sepem, aut

Plutarchus

agge-

aggerem conſtruunt, quævis congerunt; at qui Regiam ædificat, nihil temerè componit. Et Magnorum virtutes, nihil, quod humile ſit, admittunt; ut quantùm illos ſuperior à vulgo diſcrevit ſive extulit Fortuna, tantùm etiam integritate ſua emineant. Si Diis quàm hominibus formandis melior Phidias prodigioſos ingenii ſui labores ex eo maximè poſteris celebrandos reliquit, quod non rudi ſaxo, at pretioſiori metallo, ac ebori pulcherrimè Numina impreſſerit; Superis quoq; nata probitas tunc ſe cœlo commendat plurimùm, cum in aureis Principum efformatur pectoribus: ut tantundem fulgentiſſimi ab illa Trabeatus Honor nitoris hauriat, quantum ab eodem lucis ipſa traxerit: unumq; fortunatiſſimum accendant meridiem Virtus & Fortuna. *Quinctili-*

Et jam facilè intelligis ILLUSTRISSIME CAPITANEE, quas meretur laudes probitas, quâ TE ipſum auxiſti; quanta TUIS debentur præconia virtutibus, quibus magnum impleviſti Nomen. Addidiſti videlicet pretium pretio, maximis opibus ingentes Theſauros, Phæbo nativum jubar, CELSISSIMÆ POTOCCIORUM FAMILIÆ TUÆ Integritatis nitorem, qui tot veluti radios, virtutum lumina in TE unum collegiſti. Atq; uti ſummè arduum eſt, ſolertiſſimo quoq; obtutu confertæ lucis ſcintillantes ut ad numerum obſerventur flammæ; ita latiſſimæ Orationis id vires ſuperat, ut longiſſimam, quam ex Te laudis materiem offers, ſuo complectatur ambitu. Quid enim, aureæ illæ animi TUI opes! Quid ille virtutum

integer planè exercitus? præſtantiſſimi quantumvis aciem ingenii acuit, ſed & obruit: ut ipſa rerum multitudo diffluentem impediat ſvadæ curſum, non ſecus; ac gemmei Hydaſpis fluctus magno delabentem impetu intercipiunt, & quodammodo retardant. Nunquid ſcilicet TUAM ita videre liceat modeſtiam? ut non ſtatim prona in omnes occurrat Demiſſio, Manſvetudo, candor animi, Humanitas, munificentia. Quid ille pietatis TUÆ ſplendor? quid abſtinentiæ, moderationiſq; ac æquitatis pondus? & hæc omnia TE digna TUÆ Dignitati paria; ut nulla non Princeps ſit, quæ à TUO pectore regnet Probitas. Primam tamen encomiorum frontem inſtruere videtur, quæ diadematum quoq; ſummum decus eſt, animi Integritas; & veluti in Regale ſeſe evolvit Folium cui reliqua adſcribantur. Ita nimirum Purpureum Senatorii muricem ſanguinis à cunis traxiſti; ut ſimul gemmeam Probitatis Ceruſſam tota mente hauſiſſe credaris? quaſi, ut Faſciæ Trabeatæ Faſces TIBI obligârunt, ita pulcherrimus candor animo cum lacte influxiſſet. Parvum tamen, & infra TE arbitratus es, bonum tantùm naſci, niſi TE per ætates & annos meliorem probâſſes. ILLUSTRISSIMO proinde NATALIUM exortui plenum innocentiæ meridiem adjeciſti, & quem aliis nec vidiſſe, aliis turpi vitiorum caligine extinctum lugere obtigit, eum TU perennaturo TIBI jubare accendiſti Probitatis diem. Locuples eſt, qui inter abditas Conchæ latet cunas unio, ſed ſibi tantum dives; quia illud adhuc non adeptus pretium, quod

à

à ſincera hominum opinione naſcitur, cum hæc ad lucem publicam juſtam rerum æſtimationem decernat. Ad omnium admirationem effulget tunc, dũ in ſupremis etiam Regnorum Capitibus pulcherrimum attollit verticem, & pro facie coronarum eminet. Non aliud & pro TUA nobis concipienda integritate argumentum obtigit ILLUSTRISSIME CAPITANEE, quam enim in abditis pectoris TUI condideras receſſibus, ad ſolem vel invitus demonſtrâſti. Quis nempe ex TUIS in Patriæ obſequium præclarè geſtis? Quis ex tanta morum comitate? Quis ex illa gravi quidem, ſed civiliſſima agendi ratione? Quis ex TUO ipſius vultu ad majeſtatem compoſito, dignitate oris, ætatiſq; indeflexa maturitate integerrimum probitatis non intelligat pretium? Ille TUO reſediſſe candor in animo cenſetur, quem innocua JOSEPHI plantârunt lilia, albi ad opimam gloriæ meſſem auxerunt Manipuli, Viceregii ad Supremos efformaverunt Candidatum Faſces. Ita videlicet ad ſummum Probitatis Faſtigium creviſti JOSEPHUS: ut huc jam altiores quoq; ſeſe inclinent Tituli, proni accedant Faſces & ſublimior infra Te repere videatur Honor. Magnum iſtud laudis TUÆ incrementum; quod ſic creſcere nolueris: quo nimirum demonſtrâſſes, non à cæco Fortunæ impetu, ſed à TUO ipſius pendere arbitrio, TE poſſe in communem cæteris augem felicitatis attolli, quoties volueris. Utinam tamen voluiſſes: quanta enim ex TE Senatui Lechico acceſſiſſet Majeſtas, quantum pondus in conſulendo rebus Patriæ!

quantum ad Civium tranquillitatem, ad incolumitatem univerſorum inſtaurandam ſubſidium; TU ipſe, TU ſolus Sarmatiæ Columen, TU in dubiis negotiorum difficultatibus, in tempeſtuoſis Regni viciſſitudinibus ſecuriſſima fuiſſes cynoſura. Sed quid ego tanquam mei obliviosus muneris, partes illorum ſuſcipio, quos jam olim TUA vicit modeſtia, ipſa vinci, ſeu expugnari neſcia.

*Præclara Ill: Capitanei moderatio in excusãdis honoribus.*

Totum tamen id ad TUAM ILLUSTRISSIME CAPITANEE virtutem referendum eſt, ex qua vel illud laudis culmen adeptus es, quia talem TE reperit hæc, non tam Panegyris, quam breve Dignitatis TUÆ compendiũ. Nam etiam hoc ipſum ad TUAM componi moderationem debuerat; qui poſtquam majora laudando contemptu prætergreſſus es, minora non aſpernaris. Duo nihilominus hîc præſtanda occurrunt: alterum, ut ceu ingenti rei novitate capti, TUAM demiremur modeſtiam (quanquam nec admirari ſatis licet tantæ ſublimitatem demiſſionis) alterum, ut TUÆ quaſdam moderationi referamus gratias: quia illa ſola eſt, quæ nos, quantus eſſes, edocuit. Quam magnum iſtud eſt, honores non quærere! Quantum id oblatos deprecari! quàm ſummum! ultro occurſantes, imò verò inſequentes fugere, aſpernari. Minùs tamen ego virtuoſum crederem, ſi hoc illi obtigiſſet, qui proprio ſuo conatu, nec trito adhuc a Majoribus calle, ab obſcuro ſeu meritorum, ſeu natalium ſuorum lare ad fortunatum eluctari deberet Faſtigium, & ceſpitaret. Verùm TU, cui tot Caſtellanæ ANTENATORUM Curules, tot Palatinæ

tinæ

tinæ MAJORUM Trabeæ, tot Domeſtici, innatiq; planè murices Purpureum ad ſumma quæq; ſtraverunt iter; cùm nova Titulorum acceſſione ornari renuis, omnium ſeu expectationem ſeu admirationem ſuperâſti. Dedignaris enim illuc aſcendere (ſi tantùm aſcenderes cui nihil ſublime parq; altitudini meritorũ obvenire poteſt) quo TIBI veluti quoſdam,eoſq; ſecuriſſimos formârunt gradus Familiares Ducum clavæ, communia POTOCCIIS Dignitatum ſubſellia, majores Senatorum Faſces, ut novum TIBI ad honorem iter parare videaris, omnem fugiendo. Excusâſti, quam olim, quam nuper etiam, SERENISSIMUS AUGUSTUS II Palatinam TIBI deferebat curulem, TUISMET ad id præclarè geſtis coactus, impulſus virtutibus; ut illis pridem jam debitum præmium, his veluti Coronam impoſuiſſet Regalem. Deprecatus es: & pulcherrimum ex Latio in noſtram Poloniam tranſtuliſti ſpectaculum, cui olim Roma applauſerat; cum Quintios, Papirios, Trajanum deniq; faſtuosum conſulatûs deponere munus videret. Atq; hìc jam ultra moderationis TUÆ orbitam proceſſiſti: cum nihil non TUUM, nihil, ut ita dicam non commune accepiſſes, quod TIBI offerebatur. Quid enim familiare magis Vobis omnibus, quàm veſtro Senatum implere Nomine: ut idem jam cenſeatur, POTOCCIUM & PATREM PATRIÆ eſſe. TIBI verò, ille ipſe, quem renuiſti, Honor relictus eſt; imo ad majorem, quem cæteris aſſequi non licuit, aſcendiſti. Solidi nempe honoris culmen, pariter ac ſinceræ apex Gloriæ;

ut ipſe ajebas, non in faſtuoſa Titulorum pompa ſitus eſt. Virtutes & merita Faſces colligunt, nec fœda ac turpis ambitio, ſed optimæ commendatio Famæ Principatum tenet. Quid etenim; TEcum ipſe reputans dicebas: quid me vana Dignitatum agitabit cupiditas? Ecquid miſerrimo ſimilior Tantalo inanes laudum auras captabo? Indecorum eſt arrogante duntaxat faſtu ſupra cæteros extolli; atq; illo tantum, quem fortuna obtruſerit, gradu' è vulgo prominere. Laudabilius eſt: ut verum honorem, non in ſplendore Titulorum, ſed in virtute ceu innata reponam; magniſq; omnibus me parem faciam, etiam dum recuſabo. Nihil agere, nihil conari, niſi ſemper mereri; nec mereri ut præmium feras, ſed ut illo TE dignum præſtes, iſtud glorioſum eſt. Plures utinam TIBI ſimiles Patriæ noſtra ſæcula dediſſent; cum enim TU parem TE maximis per Virtutes facere adniteris, magìs optandum eſt, ut plures TIBI pares cenſeamus. Inquiebas deinde: ME juvat veriùs Purpurei altum ſangvinis, quod à MAJORIBUS, à PROGENITORIBUS meis hauſeram, ſublimioribus evehere virtutibus, & velut gemmis coronare. Meum erit citra ambitioſum Titulorum queſtum, illas quæ ſe pro Faſciis explicârunt Purpuræ, Tyrio meliùs intaminatæ ut induam verecundiæ Murice & Trabeatas Majorum ſecures mea probitate muniam ſecuriùs. Ad Faſces, plenos virtutum manipulos colligam, & extra Titulorum ambitum, integerrimum quæram honorem, tam mihi privatus, quàm publico DOMUS MEÆ futurus decori.

O ſanctiorem Faſtum! Eo TUA ad Dignitatum culmina tarditate proceſſiſti, quo nec Pompeiis per tot Trophæorum campos, nec Trajanis per Suprema Cæſarum faſtigia eluctari conceſſum eſt. Multo plus jam quod TIBI ſeu anteactæ ſeu ſecuturæ invideant ætates: cum novum TIBI ad ſolidæ poſſeſſionem gloriæ, atq; illis etiam, iter aperuiſti; id eſt per virtutum compendia: jamq; faciliùs quàm per Alpes Annibal eluctatus, verticem illius petes.

Et quantumvis ad TUAM adeo excelſam procumbat oratio demiſſionem, magna tamen virtute erigitur. Ergo adhuc pro artis licentia, pro Jure publico, pro TUA ILLUSTRISSIME CAPITANEE gratia, ſublimem, tam laceſſere, quàm ultra proſequi audemus modeſtiam. Permittes nimirum: ut qui pro TUA Oratorem gloria, idem & pro Polona Themide apud TE Patronum agat. Queritur, & quanto, Superi boni! dolore queritur! de TUA moderatione, Lechicæ Numen juſtitiæ, maximam arbitratum injuriam, detrimentum ingens ſeu æqualitatis ſeu majeſtatis ſuæ deplorat: quia toties communibus votis expetitus, omnium ſuffragiô vocatus, renuiſti, Poloni deprecatus ſubſellia Areopagi. Et grande crimen eſſet, niſi ſuprema illa pro TUO jure peroraret moderatio, quæ TE pridem à forenſibus litigiorum tumultibus, à moleſto Tribunalium ſtrepitu excuſaverat. Id tamen vel TUA negare Demiſſio non poteſt, quod maximum toti Regno TUI reliqueris ad ſublimiora deſiderium munia, ut carus, ita deſiderandus omnibus, vel hoc ipſo, quod ſolicitè proſpexeris, ne deſiderareris.

*Tribunalitium excuſat ſubſellium.*

 Iſtud

Iſtud tam ſublime moderationis TUÆ arbitrium ſtylus noſter in hoc etiam ſecutus, ut TUA erga Patriam merita uſq; huc retulerit; quæ eo majora ſunt, quòd apud TE habentur quaſi exigua. Quantum eſt! ratione, ſententiâ, conſiliô, fulcire Patriam! optimi robore judicii integritatem Civium, tranquillitatem ſuſtinere publicam. Feliciùs, crede, ſemper maturæ deliberationis pondere collabentibus Regnorum Fortunis ſubveniri, quàm tumultuoſo rerum ordine, ſeu non expenſo ad lancē rationum conatu, & ſolicitudine. Fortiuſq; ſæpenumero hoſtis valido reprimitur conſiliò, quàm inſtructiſſimis quantumlibet armîs. Docuerunt id poſteros ſuoLacædemonii periculô: quibus idem erat ſui deliberatas leges, & decreta Lycurgi ſancta habere, ac hoſtem ſternere, & triumphare: Idem viceverſa Ageſilao ſtatuta abjeciſſe conſilia, quod turpi clade lectiſſimas perdere copias, lethaliq; ipſum notatum plaga fædè ſuccumbere. Solviſti hìc jam ILLUSTRISSIME Sarmatiæ CONSUL, ut debueras, TUÆ modeſtiæ frænos, imo hac ipſa impellente ad ferendum Patriæ obſequium, TE proripuiſti. Neq; enim veræ humilitatis eſt, ut rectè æſtimâſti, quodvis Patriæ in gratiam excuſare munus. Suſcipienda ſunt æquo animô, ſtrenuòq; illa, quæcunq; citra integritatis diſcrimen ſive in Cives, ſive in Regnum præſtari queunt merita. Superbè non minùs quàm ludicrè cunctatoris Fabii Nomen ſibi arrogant; quos levi palliata Virtute ſegnities ita ſibi adſtrinxit; ut illos vel pedem ad ſuccurrendum rebus Civium, bono publico,

*Plutarch:*

*Ill: Capitaneus legationis munere ád Comitia Regni gloriosè per fungitur.*

blico,

blico, movere pigeat. Abiiſti proinde judicio gravis, ratione maturus, conſilio integerrimus, ſapientiâ inſtructiſſimus, alter in teneriore adhuc ætate Polonus Cato: Iviſti inquam legati munere inſignitus ad ſolemnem illum Regni totius congreſſum, non appetitu laudis, non turpi faſtu, non inanis occupandæ gratiâ famæ; ſed amore Patriæ, ſed communi omnium ductus utilitate. Videre jam erat in illa Orbis Sarmatici facie, TE primā conſiliorum frontem inſtruere: cùm omnium aures oculoſq; tum animos quoq; in TUAM vocares ſententiam, & omnes ab ore TUO pendere crederentur. Licuiſſet TUA illa dicta, rationes audire, quas ipſa, quæ aderat, Patria læto probavit aſſenſu, gratioſiſſimo laudavit annutu, in has ſimilesq; prorumpens voces: Tales mihi plures utinam hæc ætas ferret Lycurgos: tales venturis ſecula darent ætatibus Solones, tales Ariſtidas; ſemper ego ſecura mei, ſemper de Civium incolumitate certiſſima perennarem. Audita mox ab illa Urbe Regia, Regni Poloni Capite, magna de TE Fama, omnes celerrima percurrit Provincias, Ruſſiam quoq; totam atq; in hac ipſa perſonuit Metropoli, quæ TUIS haud ſemel theatrum quoddam ex ſe præbuit virtutibus. Et ſtatim aſſenſerunt alii votivâ acclamatione, alii deſiderio, TUI ſæpius videndi, audiendi. Gratulata ſibi quoq; Roxolana Urbis hujus Pallas, TUÆq; prudentiam modeſtiæ aſſentiente laudavit tripudio: quod & TUAS olim præclaras illi dotes, TUUM Ingenium, TUAS dederis Virtutes; &. ab illa totum id acceperis, quod ad pu

blicum ſolem Poloniæ depromere laudabiliter potuiſſes. Ominata deinde TE incorruptiſſimum Sarmatiæ Conſulem, [tum mox PATREM PATRIÆ Trabeatum fore. Et oraculum ad mentem omnium fuit; niſi TUA in altero expectationem univerſorum fefelliſſet demiſſio. Alterum tamen vel invitus vicibûs iteratis ſuſcipere debueras. Doctiſſimum enim mentis TUÆ pondus ſuis rebus experta ſemel, publica negotiorum conſulta, minùs facere poterant, quin repetitis votîs, ad ſuffragandum oneri maximo probatum jam TE Alcidam iterum adſciviſſent.

Pergit tandem oratio licèt tardiùs [lentè enim & per gradus aſcenduntur ſumma, & tanto magìs cunctanter ferimur in ipſum Numen) pergit [inquam, ſeu prolabitur, ad TUÆ adorationem pietatis in Superos, quam Principem ipſe integerrimo colis in pectore. Ita priùs TUARUM Virtutum apices percurrere oportuit, per quos ad culmen hoc perveniſti. Et ingens Culmen eſt: non enim illo ſupra ignobile duntaxat vulgus attolleris; verùm primos quoq; ſeu æquare, ſeu etiam ſuperare, ſummo laboras TUÆ in DEUM Benevolentiæ ſtudiô. Satis quidem eſſet, TUUM, ſeu dum precaris ſupremum Numen, ſeu dicatas illi ædes frequentiſſimus ingrederis, vultum contemplari; legeretur ſanè ab illo uberrimè, quem TUO domeſticum adſcripſiſti animo, ferventiſſimus cælitum amor, Reverentia, Demiſſio, ut nihil non Aſtris dignum obſervari poſſit, quod TUO ab ore, geſtu, oculis, pro Superûm honore depromitur.

*Pietas in DEUM Ill: Capitanei.*

Prin-

Princeps iſtud Virtutis decus habetur & encomium, quâ in primo ortu ſuo, luce reſplenduit, eâdem ipsâ in augem creſcit. Diem illa ſemper agit terſiſſimum, errantia odit ſidera, & mobiles inconſtantis lunæ nitores fugit, mutari neſcia. Quàm pulchrum iſtud eſt videre TE nunc etiam, tanta vultùs, corporiſq; totius compoſitione ſupplicem Numini maximo advolvi; ut non annorum ſpatiô, non dignitatis gravitate, non virium reſpectu' ab eo Religionis ſtudio avoceris, quo tenera adhuc ætas pientiſſimum jam inſtruxit animum. Foves nimirū ſolicitè illuſtriorem hanc Veſtali, pietatis flammam in TUÆ Sanctuario mentis, quam pro juvenili conceperas fervore: idem ſemper, tam ſecurus illiuſmet cuſtos, quàm ſtrenuus ad omnem vitiorum caliginem expugnandam. Adeo TIBI conſtans, adeo firmus, & idem in Superûm cultu ſpectaris, ut etiam qui TE olim noverant, antiquæ probitatis vel leviter conſcii, primo adſpectu ex ipſa pietatis TUÆ facie eundem TE nunc poſſint recognoſcere, ac in mentem, antiquius repetere integritatis exemplar. Et à quibus cognoſcendus adhuc (quanquam publica ſit apud omnes TUARUM Virtutum Fama) deſideraris, è veſtigio præclaræ in DEUM benevolentiæ TE Cœlo addictiſsimum univerſi aſſequuntur. Liceat hic pro vero aſſerere: quod TE Gentilitiæ Cruces alterum figurent Domeſticum pro Religione, Aſtris & Superis CONSTANTINUM. Pro Superis certare videris ſtrenuè, quoties pientiſsimos de illis ſermones inſtruis, gravioreſq; pro DEO ſententias, aut benevola

 aure

aure, menteq; prona excipis, aut ipſe, ſanctiſsimè non minùs quam facundiſsimè TUÆ in Cœlites officioſitatis depromis oracula. Super hæc tamen, arcana, quam in TE ſtudiosè recondis, prominet effulgetq; pietas. Splendidiùs tunc videlicet, qui dives eſt, radiare conſpicitur adamas: cum à meridiana luce veluti profugus in obſcuro latet. Et radius ſolis ille, qui ſe in latebroſas montium cavernas abjicit, aurum, maximaſq; opes terris educit. Aſtra demum, ſcintillare tantum noſtros leviter videmus ad oculos: cum tamen majora credantur ſideribus maximis, quæ tot ad faſtum uſq; lucis confertiſsimæ ardent facibûs; Numen ipſum deniq; maximum Cœlo ſuam includi voluit majeſtatem: ut tam facilè ad par ſibi in terris acceſsiſſet pretium, quàm procul à ſolerti mortalium receſsit obtutu. Et virtus ſui Parentis ſincera imitatrix eſt, quæ illum in hominum diligentiſsimè effingit animis, nuſquam de fuco, & pompoſa ſanctitatis oſtentatione ſolicita. Ita effulgere TUAM quoq; parem Aſtris, Superis æmulam, officioſiſsimam in DEUM comitatem quis non adverterit? ſagaciſsimè quidẽ illam ſipario modeſtiæ tegere & profundæ cortinâ humilitatis obducere conaris; cum tamen illa tunc ſplendidiùs eluceat.

Fulgentem adeo licèt ſub modeſtiæ nubibus in Superos benevolentiam, nonne ex communi omnium ſenſu, proclamem totam ſupernam, totam Divinam eſſe! Ita eſt! cœleſtem illam, & Divinam; verùm humaniſsimâ quoq; profusâ in Cœlites munificentiâ effeciſti. Placuit nimirum ultra plebe-

jam

jam cæterorum pietatem aſſurgere; quibus commune eſt mendicâ tantum Superos fatigare reverentiâ, & inopes profundere cultus, nec vota, niſi egeſtate ſplendida, Aris Beatorum appendere. Infra DEUM, pariter ac TE ipſum genus iſtud pietatis eſſe cenſuiſti, ſi non pro honore Numinis, pro Religionis TUÆ majeſtate, aureâ ſublimiùs attolleretur beneficentiâ. Diſtingvunt à rudi fluminum vulgo gemmei Gangetem fluctus, aurei Pactolum vortices, ut licèt communi undarum ritu in profundiſsimum mergantur alveum, ſupra humilem tamen aquarum ſortem locuplete emineant ſplendore. Et illa, quæ Magnorum eſt, in Superos benevolentia tantundem ſuper reliquos cenſetur evehi, quàm largiter in Cœlos profuſa in altum ſanctimoniæ enititur. Docta eſt ad cogitandum pro ſe pretioſa avaritia, magìs erudita ad inveniendum Liberalitas; ſapientior hæc tamen evadit, cum illi pulcherrimū à pietate ingeniū obtingit, ut arte meliori efformatum cenſeatur, quod tam inexhauſta largitas, quam ipſa inſtruxit ſanctimonia. Utraq; præclarè inſtitutum facultate animum commendant illuſtriores jam TUO munere ædes ſacræ, laudant Divorum altaria, probat cœlum; & præmia tandem ignarum quâvis vinci beneficentiâ, parat Numen. Et certè ſtatuiſti optimè ita cum Superis certare, ut illi haud ſuccumbant, & TU adhuc triumphes. Jamq; Trophæa TUA è vero dixerim, illa omnia, quæ pro locupletanda Templorum ſupellectili, ſeu pro ſacræ augendo majeſtatis decore, ac pro cultûs Divini Pompa veluti

*Ill.ᵐⁱ Capitaneus municētiſſimꝰ in DEUM & Cælites*

pretiosa TUÆ spolia munificentiæ in Divorum Augustalia transtulisti. Pulchrũ istud TUÆ gloriæ monumentum! cùm splendidè adeò ad propriam superis magnificentiam, non à fictitio Jovis delubro, verùm à sanctiore Cœlitum vultu opulentissima effulget profusio; atq; integra veluti munifico ardere videntur obryzo sanctuaria. Eximiis ad arrogantiam simulacris, Panisq;, sed profanis, talem in DEOS Principum suorum pietatem rependebat superstitiosa antiquitas: TUA in verum Numen beneficentia sanctiùs citra fictæ Religionis fastum colitur, quia jam ab altaribus adoratur. Ita TE, in terris adhuc, familiarem quodammodo Cœlitibus, veluti quampiam cum illis sortitus communionem, præbere adniteris; postquam inquilinam sacrarum ædium TUAM voluisti pietatem. Provideant (seri nimis in æternaturæ studio gloriæ] impensissimis votis, ultima enixè decernant voluntate tristem sarcophagorum ad mensuram fastûs, pompam alii: è quibus non tam splendoris augem Sanctis Divorum penetralibus, quàm minùs probãdæ ambitionis spectaculum inferant; cum adhuc sæpenumero ùt illi se visuros, sic posteros ultimum istud posituros monumentum pietatis, non sperare coguntur. Providentissimè TEcum sanctèq; factum est; vivus adhuc, jam in Templis habitas, quia aurea inibi fulgentissimus pietate viseris semper Beatorum Domesticus.

Processit adhuc longiùs, porrectiùsq! sese protendit, termini nescia, ignara limitum, TUÆ amplitudo liberalitatis. Ut semel pretioso viscerum

suo-

ſuorum partu gemmis intumuit Eridanus, ita ultrá neſcit modum, quin aſsiduus ſuas in tot Regna profundat opes. Eandem in TE profuſam gemmei ritu æquoris, ſpectare eſt affluentiam. Parum TIBI erat Domeſticos Cœlites, ſanctiores Penates, & hæreditarios ut ita dicam locupletare Superos; Altiùs TUA ſeſe porrexit pietas, ut æquè ſublimis ac ampliſsima cenſeri potuiſſet. Eſſulgebat jam in Manaſterzecenſi id eſt Tuo Sanctuario, pulcherrimè prominebat ab aris, parietibus, toto extollebatur faſtigio, & ex intimiori ſacrorum emicabat receſſu: ſplendebat inquam, ſed nondum altiori redimita culmine. Ergo ad illam Regni totius Metropolim, Lechicarum Principem Urbium, Regum noſtrorum Coronatricem Cracoviam provehi debuerat. Et ſanè Regio ſe paſſu, quia cum ſua eâq; profuſa majeſtate eo intulit Videre jam eſt per Principes ipſius Baſilicas, TUAS inibi radiare illuſtri metallo Gazas! Videre eſt ſacrorum quoq; Arbitros Myſtas TUA ſolenniùs oſtentare Cœlitibus munera, quoties Divinam litaturi victimam, vel ad publicè Numen placandum, altaria ſubeunt: quaſi, ut Coronis Tergemìna DOMUS Cruce Supremum ibidem addere verticem, veſtrum eſt; ita auguſtis Templorum Solemniis TUA Coronam imponere debuiſſet munificentia. Sed quid adhuc illa non tacenda intermiſi (quanquam TUA altum imperet modeſtia ſilentium] TUA munera, quibus noſtra quoq; Principibus Apoſtolorum Sacra Ædes cumulata eſt. Verùm hìc TUIS aliquid concedendùm votis; parcemus ergo laudibus, ſed gratias

*Munificentia in Ecleſiam Manaſterżecenſem*

*Liberalitas in Baſilicas Cracovienſes Ill: Capitanei.*

 ſem-

ſemper ſeremus immortales, unico votô: Superi TUA largiſſimè dona compleant; ut abundè TIBI ſit, quod ipſe habeas; ampliſſimè, quod cæteris partiaris; dives tibi, dives aliis: locuples ſemper & beneficentiſſimus Mæcenas.

Nondum tamen pro magnitudine animi hæc ingens adeo viſa TIBI eſt ſurrexiſſe munificentia. Si ingenioſa pro vanis, Religionis præſtigioſæ ritibus Antiquitas, laudis ſummam colligere cenſebatur, quoties plures cogitaret, plures fanis induceret (ſed ſacrilegos cenſemus illos) Deos. TU ad Cœlitem conformiùs ſapientiam, ſolidæ id eſſe gloriæ credidiſti; unius veriq; Numinis honores, cultum, pietatis officia, invenire, propagare, augere, novaq; novis cumulare. Igitur præter tot & tanta, aliud officioſitatis in Cælos genus cogitâſti: haud ita grande arbitratus illud, quod junctum aliis munus non tam auget inventa ſæpenumerô quam creſcit à reliquis. Pulchriùs illud cernitur eminere, quod à cæteris diſtingvitur. Iſtudq; eſt TUUM par Superis, TE dignum, Manaſterzecenſe Sanctuarium, cujus TU jam in animo plantam poſuiſti, & è veſtigio pulcherrimum opus proſequi ſacerrima conaris intentione. Erit, cùm non impar TUÆ liberalitati Baſilicum aſſurget Numini Auguſtale, TUÆ Famæ juxtà ac pietati perenne Faſtigium.

*Manaſterzecenſe erigendum Ill: Capitaneus parat Templum.*

Tot emeritæ probitatis Gemmîs, tantis virtutum decoribûs fulgentiſſimus, feſtivam ſocialis lucem Fæderis; ad quod ſecundiſsimè procedis, accendiſti ILLUSTRISSIME CAPITANEE citra fabulam fortunatior Prometheus, Patriæ, Inclytæ DO-

MUS

MUI, Ruſſiæ toti, atq; huic etiam Urbi; ita feliciſſimè, ut non modò Metropolitanus hic ſua urbanitate Leo applaudere, Roxolanæ Provinciæ communibus exſilire tripudiis, Celſiſſimus PILAVA juratæ annuere Fidei; ſed votiva gratulari acclamatione cunctorum ora audiantur. Univerſalis iſtius omnium lætitiæ teſtem in Vobis poſuiſtis cauſam ILLUSTRISSIMI NEOSPONSI: quorum illa fide ſtetit, crevit Votîs. Quid enim VOS aliud præſtitiſſe credatur, junctîs mutuò ad fortunatiſſimum Hymenæum dextrîs! niſi quod Inclyta PROSAPIA Felicitatis ſuæ acceperit faſtigium & VOS cõmuni PILAVITARUM Gloriæ ſupremam impoſueritis Coronam.

Pro certiſſimo ac unanimi omnium id ſenſu palam & ubiq; circumferebatur ILLUSTRISSIMO POTOCCIORUM NOMINE Regnum impleri, & illud ſeu meritîs, ſeu Titulîs altè plenum eſſe. Quis enim ſurda adeò vocaliſſimam aure Famam excipiat? ſeu ad tantum cæcutiat jubar? nisì fortè livor æmulus abſtulerit lumina. Ita POTOCCIOS audivimus, vidimus, de Patria, de Civibus mereri: ut non vanum honoris inſigne Faſces in Lechico Senatu tulerint. Sic eos nimirum portârunt, feruntq; ſemper, ut florentiſsimos, tot victoriarum Laureîs, effeciſſe videâtur. Ita deinde felices obſervavimus, ut inane militiæ vocabulum ducerent, ſi è martiali campo non ſibi proprio vel hoſtili tinxiſſent muricem ſanguine. Præmiorum magnitudo haud rarò meritorum eſt menſura. Porro illis proprium id maximè eſt: quos non faſtus, non ambitio, ſed re-

*Celſiſſim. a POTOCCIORUM Familia Domus Honorum & titulorũ*

ctèfactorum ingens pondus, ad quævis honorum promovit culmina. Imò verò in ipſis adeò honoribus PILAUITÆ quandam ſuis præclarè geſtis æmulam cernuntur excitâſſe invidiam, cùm illos ſibi veluti eripere majores videantur Tituli. Gaudent enim quodammodò Purpuræ etiam Principes, ſi illis imponantur lacertis, qui grandioribus quibuſq; ſuſtinendis pares ſint, ut ſic ipſæ quoq; veluti attollantur. Gaudent inquam, ſi non tegendo ſceleri, ſed ornandæ virtuti famulantur. Gaudent, ſi illos molliùs involvant humeros, quos Martialis grave pondus ferri attrivit; pectus quoq; alacriores tegunt, Heroo purpuratum vulnere: quia & Coronæ pulchriùs inſident Galeato vertici. Pulcherrimo illi plures jam ætates imò ſecula dedit Polonia ſpectaculo: cùm palàm ſit POTOCCIOS jam non aliquos, ſed ſingulos, ſed pleno agmine ad ſcipiones, Clavas, Curules, ad ſacra dignitatum Inſignia invitari. Quaſi mutuò certarent conſenſu Tituli, ut ſe ad Heroam PILAVITARUM arborem pro immortali Gloriæ Trophæo poſsint appendere; ſecuri de ſua & illorum perennitate. Quare exactâ jam ab aliis non minùs ſtrenuè quàm eruditè Provincia in recenſendis exercitu pene integro POTOCCIIS, Ducibus copiarum Supremis, Palatinis, Caſtellanis ſemper magnis, Mareſchalcis & ſupremis rerum Arbitris; abſtinendum mihi arbitror ab illo non minùs faſtuoſo munere, quàm gravi onere; cùm veriùs cenſeam non anguſtam modò Panegyrim, ſed Tomos; non breve folium, ſed integra volumina minimè ſufficere, quibus ampliſſimam

hono-

honoribus & meritis claudas PROSAPIAM. Sæculorum iſtud opus eſt, non unius diei labor: quia tot ſæcula Patriæ tantos portabant Heroes, perennaturæ relinquendos poſteritati, ut intelligant universi: quantùm Honor meritis, quantùm Honori merita reſpondere debeant. Proinde non jam in applauſum ILLUSTRISSIMI HYMENÆI tumultuarios Martis fragores lubet inducere, ubi amica perſonant certantq; Fædera. Nec murices, quantumvis purpureos, hoſtili tamē ſqualidos cruore placet evolvere, cum jam nunc ipſe feſtivam Connubii pompam inſtruat ſocialis amoris candor. Atq; hic illud ſummum videre jam eſt, quod majores haud obſervârunt, nunquam ſatis mirabuntur poſteri.

Iſto nimirum ILLUSTRISSIMI NEOSPONSI, tripudio, CELSISSIMAM DOMUM, iſto complevistis decore, quod ſolùm deſiderabatur; poſtquā idem Nomini vocabulum, eadem Avitis Inſignibus Arma, arborem POTOCCIAM PILAVÆ, nuptiali junxiſtis vinculo. Quam pulcherrimè ita certatur: ut ſigna ſignis, Cruces opponantur Crucibus, & ſimul in commune Gloriæ, Honoris, Famæ, attollantur Trophæum. Jam inter tot POTOCCIORUM Gradivo erectas Lauros, triumphales fæderato Amori ponuntur arcus. Inter tot belli Claſſica & præliares lituos tota CELSISSIMA DOMO perſonantes, Cordium animorumq; canitur, ac celebratur victoria. Probatis abundè florentiſſimam VESTRAM Arborem non longiſſimis annorum ſpatiis, non temporum viciſſitudinibus decreſcere aut immutari: Imò verò ad plurima Crucibûs com-

poni sæcula. Tanto fædere grande JOSEPHUS Incrementum, ver PELAGIA fecundissimum addit PILAVÆ; ut intelligant universi Patritiam ARBOREM non laurearum modò, & Fascium feracissimam esse; sed aptam quæ amicitiæ quoq; perennis, amorisq; socialis Regiam componat, extruat; & ad omnium admirationem attollat. O! quantam plurimi honoris sui labem reputant, quoties domesticæ prosperitatis copiam aliunde supplere coguntur & adoptatâ, propriam cumulare fortunam. Quã miserè doluit in cæteris felix optimus Romanorum Imperator Nerva Coccejus, quod in tanta fortunæ auge inops socii fuerit, quem è DOMUS suæ visceribus & socium in regãndo haberet & successorem reliqueret imperio. Quanto dolore gemuit Regum Princeps Hiarbas, quòd totam percursare Africam debuerit pro peregrinæ Didonis reportando fædere. Magno demum Gallis constitit, cum ad Iberiam usq; dextras extenderent, pro adoptando sociali decore suo Principi. Vos illam communem mortalium sortem fortunatissimè superâstis, quia non quæsito alienorum honore Nominũ, VOBIS Ipsi mutuum uterq; pretium & decus, Nomen & Honos estis.

Plaudite jam Agnata Nomina! pulcherrimis ILLUSTRISSIMORUM NEOSPONSORUM votis annuite! Servassent utinam istis adhuc fata temporibus: seu ILLUSTRISSIMUM ALEXANDRUM Palatinum Smolensciæ ILLUSTRISSIMI progenitorem CAPITANEI: seu magnum illius Patruum, Maximum Poloniæ Catonem ILLUSTRISSIMUM

STE-

STEPHANUM MARESCHALCUM Curiæ Regni! quantùm illi publica ſuis adornâſſent ſolatiîs tripudia! Quantum applauſiſſent. At nunc quoq; ſupernum à ſuperis inclinant annutum. Jam CELSISSIMUS Lechiæ VICE-REX, Poloniæ PRIMAS, Antiſtitum Princeps, Decus, & Culmen, ARCHI-PRÆSUL Gneſnenſis, Legatus Natus, Illuſtriſſimi Capitanei ſupremus Patruus, ſeu Præſulea ſeu Avita Tergemina Cruce Ter ſummam Illuſtriſſimorum Neoſponſorum votis impertitur benedictionem. Secundum, id eſt fortunatiſſimum, pro Paterni, magnitudine pectoris ſummum, adde Votum ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME DOMINE CAPITANEE GRABOVECENSIS lectiſſimæ MAGNE GENITOR FILIÆ. Tuis enim illa pulcherrimè reſpondit votis! Pro candore Suo innocentior Veſta, quanto virtutum ardebat ſtudiô, tantum & Purpureo verecundiæ murice, & laudandæ nitore modeſtiæ, & compoſitâ in Superos Pietate pro Principe virtutis eluxit Idea. Talem reperis MAGNE PARENS, talem, & tantam TUO NOMINI relinquis Filiam & unà fortunatiſſimam aliquando magnorum Nepotum Matrem. Adde præterea pro Paterni affectus amplitudine, pro TUÆ & Connubialis Pompæ Gloria, Palatina ILLUSTRISSIMORUM Kiiovienſis, Exercituumq; Regni Magni Ducis; Illuſtriſſimi Palatini Volhyniæ vota, qui primîs non minùs Trabeis quàm glorioſis in Patriam meritîs, Feſtivæ diei lucem augent. Quidni applaudat toto pectore ILLUSTRISSIMA EXCELLENTISSIMA D. Palati-

na Smolenſcenſis Neoſponſorum fœderatis tripudiis? Quæ domeſticâ TARLONUM Aſciâ ut ſemper ad ædificationem POTOCCIANÆ fuerat Arbori, ita optimam Fortunæ plantam Magnorum poſuit ſucceſſibus Natorum.

ILLUSTRISSIMA EXCELLENTISSIMA D. de POTOCCIIS TARLONUM decus, Palatina Lublinenſis, quanto TUÆ ipſius ſolatiô, annuis, laudas, attollis ſocialem Triumphum, quem ipſamet TUÆ laudi, POTOCCIORUM Gloriæ, ILLUSTRISSIMORUM NEOSPONSORUM Fortunæ erexiſti. Quæ illa in TE probitatis & munificentiæ conjunctio! Quam jam Craſnoſtavienſis Baſilicæ ipſa TUÆ pietatis conſcia attollunt marmora; jam palam & publicè circumferunt & prædicant univerſi. Quia Tuo ſtudiô, Tuo magis adhuc exemplô, fortunatiſſimam inſtruxiſti Sponſam; ut TIBI tribuat ILLUSTRISSIMUS CAPITANEUS Sczerzecenſis, quòd tantam TUO munere Conſortem accipiat. Non deeſt feſtivis auſpicatiſſimi Connubii ſolatiis ILLUSTRISSIMUS PALATINUS Bełzenſis, etiam dũ abeſt longiùs: utpote qui totam præclarè geſtîs implevit Lechiam. Fraternæ ſemper proximus fortunæ, & tam facilè illi publicam feliciſsimi Conjugii diem emeritis augere Honoribûs, ut germano implere candore. Accedis iſti proxima, Virtutibûs Maxima ILLUSTRISSIMA CAPITANEA Wiekſzanenſis, Illuſtrium rectefactorum Princeps Idea, viva probitatis effigies, lucemq; omnibus deſideratam TUÆ ſcilicet pietatis, quâ integram Celſiſſimam DOMUM illuſtrâſti,

germa-

germanis quoq́, fauſtiſsimi Connubii Tædis affundis uberrimè. Vixiſſes revolutis antè temporibûs, in meliorum ſanè præconiornm veniſſes partes, cum paribus virtute, Paula, Martia, Valeria, ab eloquentiſſimo juxta ac ſacerrimo Oratore Hieronymo pulcherrimè collaudatis. Imò verò Integræ TIBI ceſſiſſent Panegyres ſanctiore illuſtres facundia. Excitâſſes Tubam illam in TUARUM encomia virtutũ & vocaliorem feciſſes; Doctorem Calamum ex merito pro Oratore nacta, ſublimiùs evolâſſes in Cœlos, ubi fixo ſemper hæres animô. Sed totum id permiſeris optâſſe tantùm ideo; quia nec ſtylum ita ſublimem TUÆ virtuti adſcribendæ, nec parem invenio celebrandæ Tullium. Quanquam de laudibus pro TUA moderatione minimè ſolicitæ, eloquentiſsimos jam Tibi laudatores, ſanctior TUA comparavit munificentia, Cœlites nimirum Beatos, ipſoſq; Superos. Quidquid enim in illorum ſanctuariis pretioſius elucet, totum id TUA ſolicitudine, ſeu munere acceperunt. TUÆ tamen hìc morem geram modeſtiæ, jamq; tantæ amplitudinẽ Liberalitatis tacitus finiam, cum nihil adhuc dixerim. Gratulari tantùm liceat ætati noſtræ, quod illi TE ſervârunt Superi: ut continentiæ exemplar, Integritatis Prototypon, verecundiæ Idea, omnium deniq; virtutum norma, longiſsima proſperitate ad noſtra omnium vota eluceas. Tripudiante adhuc Fæderi auſpicatiſsimo ſubſcribite aſſenſu, Illuſtriſsimi, CASTELLANE Braclavienſis & Smolenſcenſis Palatitine, Veſtris ornate Triumphos Faſcibûs, inſigni cumulate gloria, Heroes Purpurati. Manum quoq; plau-

ſibus appone ILLUSTRISSIME FRANCISCE POTOCKI Inciſor Regni. Vos demum Maxima PILAVITARUM decora, Illuſtriſsimi Leopolieñs, Craſnoſtavienſis, Trembovelenſis, Kaniovienſis, Tłumacenſis Luchovienſis, Kolomyenſis, Capitanei, toto agmine inſtruite tripudia, ad communis lætitiæ augem, veſtriq; honoris culmen.

Lucem deinde nuptiali Pompæ addite, quæ Illuſtriſsimum affudiſtis ſanguinem POTOCCIIS, Conſangvineæ ſeu affines Proſapiæ. Auguſtiſſimum inprimis Jubar accendite in JOANNE III. Sereniſsimi Sobieſcii: Principem CELSISSIMI VISNIOVIECCII, RADZIVILII, CZARTORYSCII, augete fulgorem. ILLUSTRISSIMUM properate diem Purpureo ſplendidiſsimi Murice TARLONES, PODBERESCII, KONTSCII, MORSZTYNII; OGINSCII, OPALINSCII, RZEWUSCII, OSOLINSCII; MOSZYNSCII, quibus altiorem Fortunam, & Titulos domeſtica ex merito obligavit Faſcia. DANIELOWICCII, DENHOFFII, KOSAKOWII, SAPIEHÆ, STADNICCII, CHODOROWII, LASZCCII WIELOHORSCII, & Sexcẽta, quæ prima Poloni cenſemus Nomina, connubialem attollite Honorem; ut par ſibi, par Veſtris, ſeu favoribus ſeu cumulatis aſſurgat votis. Fauſtiſsima tandem univerſorum omina faventiſsimi comprobent Superi, firment æternis pactis Fædus, Avitis Crucibûs plurimas ætates muniant, Vobis longiſsimas, ſeras poſteris. Impleant annos Filii Parentum, Avorum Nepotes, iſti Patriam meritis, hæc illorum merita Faſcibûs. Hoc omẽ devinctiſsima veſtro Nomini Societas JESU, iſtud votum pro gemmis Veſtræ inſerit Coronæ.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0019765

